

Monita
MONITA
PRIVATA

Societatis

JESU.



Notobirgæ
NOTOBIRGÆ,

anno 1612
ANNO 1612.

Typis Collegij Societatis Jesu.

*Qualem de Societas
stare dt, cum de novo.*



12948

Monita priuata societatis

I.

Qualem se societas præstare debet, cùm de novo accipit loci alicuius foundationem?

Vl se gratam & acceptam præbeat Societas incolis loci quem non ita pridem suscepit, multum ad hoc conducet, explicatio finis societatis, præscriptus in regula secunda summarij incumbere in salutem proximi eque ac suam. Quare humilia, obsequia, obeunda, in xenodochiis & simo jacentes inuisendi, ad confessiones excipiendas quorumcunq; & ad loca distantia eundum, elemosyna conquirenda, dandæq; pauperibus alijs videntibus, ut ædificati facti nostrorum sint in nos liberaliores, Modestiam exteriorem, ita omnes ediscant, ut illa alios ædificent, delinquentes è nostris vel ob id dimittantur.

II.

Quid factu opus est, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?

Conatus ad id maximi sunt adhibendi, experientia docuit, Principes tunc affici spiritualibus & ecclesiasticis personis, quando odiosa facta eorum non aspere reprehenduntur, sed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in matrimonijs contrahendis Principum, cum sibi affinibus: Quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob vulgi opinionem quod tales execratur toros. Itaq; dum

hæc & similia affectant Principes animandi sunt, affecutus
nos eos quod volunt explicentur rationes quæ illorum desi-
derium augeant, videlicet matrimonium hoc fore causam
maioris vinculi, & gloriæ Dei. Sic dum Princeps aggre-
ditur aliquid faciendum, non equè omnibus dynastis gra-
tum ve. c. Si bellum mouere vult, tunc eius voluntas
uiuanda, & constantiæ monendus promouendusq; animus.
Primoribus regni insinuent persuadeantq; Principis vo-
luntati parendum esse, non tamen ad particularia descen-
dant ne nobis imputetur, si tamen obijciatur, citentur ge-
neralia monita id nobis perhibentia. Iuuabit ad contra-
hendam familiaritatem. Principum, obire legationes in
materiis ipsis gratis. Per munuscula vincendi intimi Prin-
cipum ut fideliter instruant nostros de moribus & humo-
ribus Principis, quibus rebus oblectetur, quis sit sibi modus
placendi (saluo tamen iure virtutis & conscientiæ) & oc-
casione habita insinuent se in animos Magnatum & Prin-
cipum. Si careant vxoribus, proponantur illis virgines in
matrimonium, quæ cum suis parentibus nostris sunt addi-
ctæ, iisq; virgines depingantur, laudum coloribus, quibus
eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet ut per
vxores alias alienos nobis amicos reddamus, docuit id
experientia per domum Austriacam, in regnis Polonia,
Gallia, cæterisque ducatibus & ditionibus. Fœminæ ne mu-
tent animos, aut de suo fauore in nos remittant seriò illis
inculcetur amor in nostram societatem, tum per nostros
tùm per eas famulas, quæ nostris sunt addictæ, quæ
variis officiis & munusculis in amicitia conseruen-
tur.

tur, sic enim secretiora sua Domine & ea, quæ nostros scire oportebit, euulgabunt. Sequantur in conscientijs magnatum regendis eorum authorum sententias quæ liberio-rem faciunt conscientiam contra Monachorum opiniones, ut illis reiectis nostros sequantur, & à nostra directione & consilijs dependeant. Quare tam ad Principes & Magnates quàm Prælatos conciliandos iuuabit eos facere participes meritorum nostri ordinis, habere amplas facultates absolvendi à peccatis reservatis, & censuris, dispensandi in ieiunijs, debito reddendo, matrimonii impedimentis & alijs votis. Inuitentur ad Scholas nostras salutentur carminibus inscribantur illis theses. Si expedit in triclinio tractentur, & si qualitas personæ exposcat, varijs linguis salutetur tempore mensæ, à nostris fratribus. Inimicitias inter magnates componat. Quod si Monarchæ nobis addicto, subserviat vir alius primarius à nobis alienus promittatur ei favor & honores conferendi ad nostrorum instantiam, denique ita societati curent affectos esse Principes & magnos dominos, tum Prælatos, ut pro ea contra affines & sibi caros agant, nec dimissos à societate ullo modo promoveant. Deferendos honores primatibus ominentur, delatos gratulentur, libellis carminum per studiosos, in primo ingressu loci, ubi exercenda erit iurisdictio.

III,

Quid curabunt Domini pro nobis, dum pecunia destituuntur, multæ tamen sunt authoritatis in Rep.
& alijs modis nobis prodesse possunt?

Tales

Tales Domini si seculares sint, curando apud ipsos gratia & auxilium contra aduersarios nostros, fauor ad lites forenses, authoritas & potentia, ad coemptiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearumq; pro extruendis Societati nostrae domicilijs in ijs praesertim ciuitatibus, quae nostros nolunt habere. Idem domini conciliandi ut mitigent imò compefcant furorem hominū, notae inferioris nobis nihil cooperantibus. A Spiritualibus verò, ut Episcopis, Archiepiscopis pro diuersitate nationum id exigendum, quod rei opportunitas ostendet. In quibusdam partibus curandum est ut Praelati & Parochi ipsis subditi nostros reuereantur, nec impediunt ministeria nostra: in alijs partibus plus. Nam in Germania, Polonia, Episcoporum magna est authoritas, qui paruo labore re collata cum Principe Monasteria, parecias, praeposituras, altarium fundationes nobis possunt attribuere contentatione quacumq; facta sacerdotibus secularibus. Quod in ijs locis assequi possumus, ubi Catholicis Heretici & Schismatici sunt permixti, ostendaturq; Episcopis magno fructu eos hac ratione facturos quae à secularibus sacerdotibus & monachis praeter cantū expectare nō possūt: laudetur zelus eorū, inculcetur facti memoria perpetua. Tales autē fundationes ut societas succedat in beneficia secularium Sacerdotum per eos Episcopos assequantur facile, qui & consistuntur nostris, & à directione nostra pendent, & sunt in expectatione ad altiores gradus Episcopatus opulentioris, mediantibus nostris. Tam autem apud Episcopos, quam Principes cūrent nostri, ut dum fundant nostra Collegia ad Parochiales Eccle-

Ecclesias nostri quoque soli sint, qui habeant jus conferendi vicarium perpetuum cum cura animarum, ipse superior loci pro tempore existens, erit Parochus, totumque regimen Ecclesia nostrum sit. Per eosdem curabunt extruções Collegiorum in locis ubi sunt Academici, nobis repugnantes vel Catholici aut Heretici ciues fundationes nobis in suis ciuitatibus prohibentes. Illi uidem curabunt pro nobis Catedras concionatorias, in ciuitatum nobiliorum precipuis Ecclesiis. Sic quando agitur de beatificando aut canonizando nostro, magnatum litteris promouendum erit negotium apud Sedem Apostolicam. Si ex iisdem dominis contingat legationem obijre, ne cognitis alijs religiosis qui nobiscum symbolizant, ad eos affectum transferant, & in eas prouincias inducant, in quibus eminemus. Quare si transeant viri per illustres Prouincias ubi sunt nostri, excipiantur ad Collegia, & pro modestia religiosa tractentur.

IIII.

Quæ commendata esse libent Concionatoribus
Confessariisq; Principum &
Magnatum.

VT directiones Regum, Principum, virorumque illustrium rectè per nostros instituantur, omni modo ita eos dirigant, ut sua directio tendere uideatur ad conscientiam quam ipsis Principes concedunt, non statim autem, sed sensim spectare debet directio ad gubernationem politicam externam. Quare sæpè inculcent Principibus distributionem honorum & dignitatum in Repub. spectare ad iusti-

institiam, grauiterq; Deum offendi, si contra eam à Princi-
bus peccetur, se tamen nolle dicant ingerere in ullam, ad-
ministracione Reipub. Et hac se inuitos dicere ratione sui
officij. Quod ubi apprehenderint Principes, explicetur
ipsis quibus virtutibus præditi esse debent viri assumendi
ad dignitates Reipub. commendationis capita sumantur,
ex amicis societatis nostræ, Et ijs viris, quos expedit pro
bono societatis promouere, quos per se non nominent Prin-
cipi, sed per intimos amicos societatis nostræ Et Principis,
Quare Confessarij Et Concionatores, informentur à no-
stris, qui in quauis parte illius Dominijs sint viri, qua virtu-
te, potentia, diuitiis, liberalitate in nos, horum nomina,
apud se habeant, noticiamq; eorundem faciant Principi,
dextrè eos commendando, vt facilius oblat a occasione pro-
moveantur à Principibus, illi quos olim sibi laudari à suis
confessarijs Et concionatoribus audierant. Meminerint
confessarij Et concionatores Principum, suauiter eos tra-
ctare, nulla ratione perstringere in concionibus aut priua-
tis colloquijs. Confectiones, aquas distillatas modicè ac-
ceptent, pro usu priuato parua pecunia sint contenti, dum
sunt in Pallatijs ad abiectiora se cubicula conferant. Pru-
denter incilcent suis Principibus, ne vel lato vngue disce-
dant à consilio spiritualium Patrum. Curent sibi signifi-
cari quam primum officialium Reipub. mortem Et de sub-
stituendis mature agant. Vt suspitione se eximant externi
regiminis, nec amicorum causas apud Principes promoue-
ant per se, alijs potius comittent.

Quid agendum cum religiosis, qui symbolifando
nobiscum in multis occupationibus
multum nobis detrahunt?

Genus humanum nobis animose ferendum, proinde in-
culcandum hominibus, nostrum ordinem omnium re-
ligionum habere perfectionem, & in quo alie religiones ex-
cellunt, in eo eminentiore modo societatem lucere in Eccle-
sia Dei, præter tantum & victus asperitatem quibus dis-
crepamus à Monachis omnia in Societate melius haberi
ipsa etiam subiecta. Notentur defectus ex quibus osten-
datur minus feliciter alios religiosos satis facere posse, illi
occupationi, in qua concurrunt nobiscum. Maiore co-
natu eundem est contra illos religiosos, qui Scholas eru-
diendæ iuventuti instituire vellent, in locis ubi id cum
dignitate & fructu societas nostra obiit. Ostendatur Prin-
cipibus tales homines fore perturbationi Reipub. proponi-
tur Academicis externis illos religiosos magis quam nos
ipsis in ruinam. Suggestant Principibus sufficere socie-
tatem erudiendæ iuventuti. Quod si litteras Pontificum
pro se habeant, aut Cardinalium commendationes, agant
per Principes apud Pontificem, cui ostendatur societatem
benè fungi suo munere: procurabunt testimonia à ciuita-
tibus, in quibus sua habeant Collegia bonæ suæ conuersatio-
nis. His etiam diligenter persudendum erit timendas tur-
bationes accessu diuersarum Scholarum & Præceptorum
esto religiosi sint. Interim nostri pro viribus curent stu-
dia

dia. exerceri, & Specimina edi cum applausu aliorum.

VI.

De conciliandis viduis opulentis Societati.

DEligantur ad hoc opus prouecta etatis patres, colore viuudo, visitentur crebrius eadem à nostris. Quæ affectum ostenderit in societatem, vicissim societatis nostræ opera ei offeratur, si acceptat ceperitq; frequentare nostras Ecclesias, detur ei talis confessarius, qui eam benè dirigat, & constantem in viduitate seruanda faciat, enumerando bona viduitatis, quibus meritum, amplum sit obtentura. Ut res tota melius illi cedat, comitatus famulorum diminuendus suadeatur, ordinentur Officiales, aulae & præfeti bonorum, præscribantur quæ spectant ad gubernationem domus, habita ratione loci & personæ. Impri-
mis autem efficiat confessarius, ut eius consiliis aquiescat vidua, & directionem sequatur, tanquam fundamentum futuri boni spiritualis, proponatur vsus Sacramentorum frequens auditio sacri, recitatio lytaniarum, exhortationes sint bis vel ter in hebdomadam, de bono viduitatis, de molestiis matrimonij iterati, periculis nouisq; grauaminibus eiusdem. Facetè proponat viros nobiles, quorum illa vidua, cum qua agitur non abnueret connubio, iidemq; viri ita describantur, declarando mores & vitia ipsorum, ut audiendo vidua, nec cogitationem assumat de matrimonio. Proinde eum sunt in affectu erga viduitatis statum, quam primum commendentur eis vota religiosa, ut emisso voto castitatis, omnem sibi aditum præcludant, ad secundas

cundas nuptias; quo tempore, maximè suadendum, ut ex
aula abigantur iuuenes liberiores in iocis, pauci admit-
tantur hospites, in iisq; tractandis sit mediocritas. Præ-
fecti pagorum, sacellani, aliisq; Officiales tales sint, qui aut
ex nostrorum commendatione habeantur, aut à nostrorum
nutu dependeant. Huc ubi progressum fuerit, paulatim ad
bona opera inducenda erit vidua, quæ tamen præstabit ex
directione patris sui spiritualis.

VII.

Quis modus conservandi viduas in viduitate,
& de dispositione reddituum
quos habent.

S præter communem affectum, testetur vidua clenodiis
saut pecunie non modica summa suam in societatem libe-
ralitatem, fiat particeps meritorum, societatis nostræ, si
emisit votum castitatis, renouet illud more nostro, bis in
annum, exponatur ordo nostræ societatis domesticus, qui si
placuerit, præscribatur pro aula, indicentur confessiones
mensuræ, tum pro festis Christi Domini, B. V. & Apostolo-
rum, constituantur Syndici inter mares & fœminas, qui
defectus notent, inter aulicos, & famulas, referantq; Ma-
gnifica, interdicanur nutus, susurri, clandestina colloquia,
delinquentes seuerè castigentur. Sint in aula honeste
puella, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, se in
pietate exerceant, supra se habeant manu dextricem, quæ
laborantibus attendat, & mores edoceat. Visitentur vi-
duæ crebro, & iucundis colloquiis spiritualibus tamen con-

4

seruentur & foueantur, non tractetur rigide cum ipsis in confessionibus, nisi tunc cum minor est spes aliquid ab eis accipiendi proderit quoque ad conseruandas viduas, si plerumque fiant in gratiam viduarum, ut ingressus in aedes nostras, colloquia quando & cum quibus placet e nostris, non permittantur in frigoribus domo exire, aut dum se deterius habere sentiunt, nuptiae filiarum exornentur carminibus studiosorum externorum, si exequiae peragenda sunt, ornatus lugubris licet, splendidus tamen adhibeatur. catasfalci, non sit vulgaris structura; Demum quidquid fieri potest ad viduarum sensualitatem (modo sint liberales & addictae intimè societati) fiat, cautè tamen & secluso scandalo. Agendo de dispositione reddituum, quos habent viduae, proponatur ipsis illa perfectio laudata a status hominum sanctorum, quando neglectis amicis, sua bona in Jesu Christi pauperes erogant, adducantur exempla viduarum, quae hac ratione, breui in sanctas euaserunt; Quare dum se viduae in nostras manus resignant, paratè sequi directionem Patris spiritualis, serio inculcetur, ut maioris meriti sint illarum actiones coram Deo, ne religiosis quidem personis dent eleemosynas in scio confessario, sed adnotatis iis quae se daturas alicui decreuerunt, schedulam exhibeant confessario, qui detrabere aut addere potest, prout videbitur. Caueant Confessarii frequentem aditum aliorum religiosorum ad viduas, ne post se foeminas natura inconstantes abducant. Dum nulla est pecunia ex bonis collecta, ne hinc moueantur viduae ad secundas nuptias, proponant confessarii, immò suadeant, ordinarias pensiones,

nes, quibus subleuent necessitates singulis annis nostrorum Collegiorum & Domorum professorum, præcipue Domus professe Romanæ, eandem pecuniam impendere possunt, in casulas & paramenta templi, quæ pro nostris sacris ædibus seruire possunt post mortem viduæ. Proponantur defectus Ecclesiarum nostrarum coram viduis, structura imperfectæ Collegii, inducantur ad sumptus faciendos, pro rebus perpetuam eis gloriam conciliaturis, ut sunt templa, ciboria, ædificia, quæ consultò non citò perficiantur, ut habeant in quod suam liberalitatem possint exercere: id ipsum faciendum cum Benefactoribus, & Principibus, qui nobis aliquid sumptuosè extruunt. Si Clenodia sint, suadeatur æternitati ea conseruanda, si dentur à viduis ad sepulchra nostrorum Beatorum Romanæ. Comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendetur illas summam perfectionem assecuturas, dum rerum terrenarum amore se exuendo earum Christum Dominum in seruis societatis suæ possessorem instituerint. Quod si filios & filias Dei obsequio dicare voluerint, non est liberalitas eorum spernenda, accipiendo quæ offeruntur, parcius tum ab iis viduis accipiendum, quæ filios & filias ad sæculum dirigunt.

VIII.

De Remedijs, ut filij & filia nostrarum Devotarum, religiosum amplectantur statum.

S *vaute & fortiter id matri viduæ peragendum. Filiabus*

liabus molesta sit virgis, minis, abstinentiis, asperius tractando, denegando ornatum muliebrem exquisitum, pollicendo maiorem dotem, si velit esse monialis, exaggeret futuri mariti furores, grauamina matrimonii, præ se ferat mater ipsa dolorem, se non fuisse Monialem. Demum ita agat contra filias, ut tædio victæ manendi apud matrem, aspirent ad monasterium. Cum filiis conuersentur nostri familiariter, accipiantur ad Collegia, in quibus illa ostendantur ipsis, quæ moueant ad ingrediendum, nostram societatem, ut sunt horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes, in refectoriis ostendatur mundicies, & exterior conuersatio inter nostros, munuscula, faceta colloquia, ad Spiritum tamen, non omittantur. Sint penes tales viduarum filios instructores amicissimi nobis, immo futuri de nostris. Subtrahet mater filiis necessaria, ad tempus modicum, exponat intricata negotia ex parte bonorum. Si ad alias prouincias iuerint studiorum causa, ita illos mater non delicatè tractet pecunia, ut tædio victi, in exteris nationibus religionem ingredi serio meditentur.

IX.

De redivibus augendis Collegiorum.

Serio inculcetur confessariis Principum, Magnatum, & Matronarum, ut dum spiritualia illis conferunt, temporalia pro bono communi societatis, ab eisdem recipiant, Quo circa, non omittant occasiones acceptandi dum aliquid offertur & si differatur in memoriam, reuocent nimum affectum minimè præferendo. Qui ex Confessariis
minus

minus industrii in hac re erunt, tanquam bono communi
minus affecti, amoveantur à Principibus, domiq; exagiten-
tur. Magno dolore audiimus, iuvenes viduas, morte im-
matura preventas, culpa nostrorum supellectilem, templi
multum preciosam nostris non legasse, neq; acceptasse dum
superstites viduæ offerent, cum ad talia aquirenda, non
tempus sed voluntas offerentis spectari debet. Adeant ci-
uium domos, aulas nobilium, nec non viduarum, ex quibus
omnibus perquirant prudenter, num, pro animæ suæ bono,
vel ipsi vel eorum amici aut affines Ecclesiis aliquid sint
legaturi. Idem perquirendum à Parochis & Prælatiis, qui
prius inducantur ad exercitia spiritualia, facienda, quo
tempore multa nostri possunt lucrari. Apud hos omnes stu-
deant captare benevolentiam, explicando gratitudinem
societatis, & fidelem executionem ratione locorum quæ ac-
cipiunt à Benefactoribus, secus quam alii seculares Sacer-
dotes & Monachi. Habeant noticiam hortorum, lapidea-
rum, vinearum, ciuitatum, in quibus resident, pagorum,
prædiorum, à quibus possessoribus, quibus contractibus, cum
quibus grauaminibus teneantur, & num illa bona vel per
contractus, vel receptionem filiorum in societatem, aut do-
nationem habere possint, experiantur. Devotis & devo-
tabus societatis nostræ, quandoq; bona sua, Collegia vendat,
cum pacto quod post breve tempus societas gratis eadem
sit ab ipsis receptura. Si viduas nobis addictas contingat
habere tantum filias, eas dirigant ad religionem, monia-
lium, dote quacung; eis data, cetera, uti pagos, clenodia,
totamq; possessionem, nostri facile lucrabuntur. Si autem
tantum

tantum unum filium, aut plures vidua societati nostra amica habuerit, nullaq; sit spes filios siue filium fore in societate, indicetur matri sufficere, si integras possessiones filius vel filio relinquat, ad collectam pecunie summam, & suam propriam dotem posse legare societati. Accedit viduas esse unius aut alterius pagi, ad pietatem propensas societatis studiosissimas, hæ inducantur ad inscribenda bona nostris Collegiis, ipse interim contenta sint annuam suscipere contentationem, ut Deo commodius vacent, cura rerum temporalium libera.

X.

De Disciplina rigore ostendendo in
Societate.

TEstabimur disciplina rigorem, eijciendo à nobis, quancumq; videtur societati, esto sint cuiuscumq; conditionis & status, senes, iuvenes, consumpserint aetatem & vires, morbo calculi, & alio quocumq; postquam ingressi sunt societatem, affecti fuerint. Cause (præter casus reservatos, ob quos pollutione excepta, licita erit dimissio) hæ erunt eiectionis, si devotas nostras, & amicos societati utiles ad alias religiones dirigunt, aut parentibus indicant, siue illis à quibus impediuntur, ne ingrediuntur societatem. Si in resignatione bonorum erga consanguineos affectum ostendunt, non dando totum societati. Prius tamen tales per aliquot annos in societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur, detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant, altiora studia, præcipuè quartus Theologicæ annus non concedatur. Capitula frequen-

quentius tempore mensē dentur. Patres prohibeantur à confessionibus excipiendis, arceantur à conversatione externorum, accipiantur res charæ ex cubiculis, frequentes pœnitentiæ publicè assignentur, hinc erit facile progredi ad dimissionem. Si tales personæ notatæ in supra dictis vitiis, conquerantur coram Provincialibus de immediatis Superioribus aut Officialibus, non credatur, facile excusetur factum, dicatur teneri eos obedire superiori, ubicunq; non est peccatum. Nec sint scrupulosi in dimissione superiores, cum enim ordo noster, gaudeat nomine societatis, & sociorum, non mirum societati esse annexam dimissionem.

Nam societatis & sociorum vincula facilius solvuntur, neq; sunt perpetua. Dimissio cœpit cum instituto societatis, id evidenter ex eo patet, quia Societas habet vota simplicia pro Scholasticis, Coadiutoribusq; formatis, quæ vota non habent mutuum contractum, ac si Societas habeat obligationem, personas cum talibus votis in societate retinendi semper, id enim nequaquam est, tantum enim obligatio cadit in vouentem, non in societatem, quæ potest cum talibus votis, quoscunq; dimittere, quando, & quacunq; de causa sibi videbitur. Licet autem in societate alii faciant professionem quatuor votorum, alii trium votorum solennium, more aliorum Monachorum, tamen & tales à societate dimitti possunt.

XI.

Qualiter unanimiter præstabunt se nostri
contra dimissos.

Quoniam tales multum obesse possunt societati, proinde
C
obvie-

obuietur his modis. Antequam è societate dimittatur, promittat eiusq; rei testimonium relinquat, se de societate nihil sinistrè dicturum. Præcludant aditum, dimisso ad eos spirituales & seculares Dominos, quorum ipse aucupari posset gratiam, ibiq; habere locum. Dicantur mala eius inclinationes, vitia, defectus, quos de se in manifestatione conscientie aliquando superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc iuri hoc suo. Quod si erunt Domini nostris non addicti, per viros graues nobis addictos, curetur impediri fauor dimisso, apud eum, qui non est affectus nobis. Et si non potest induci ad auertendum animum à dimisso, saltem inducatur ad non fauendum omni ex parte. Scribantur per colloquia qui nam sint dimissi, & cum exaggeratione cause dimissionis proponantur, de dimisso in exhortationibus, dicatur, quod iterum ardentè petat, ingredi Societatem. Externis insinuentur cause dimissionis, ille ob quas vulgus nos odio habet, Sic enim plausibilior erit dimissio quorumcunq;. Si dimissus habeat creditum contra nos dicendo, obuietur huic rei per nostros graues viros, qui dictis dimissi opponant authoritatem Societatis, famam, fructum, quem facit in Ecclesia Dei, bonam existimationem vitæ & doctrine ob que Regibus & Principibus, Magnatibus, sunt à confessionibus concionibusq;, explicent Zelum nostrum in proximos, multo magis in vnum quemq; hominem Societatis suæ. Inuitentur ad prandia illi, apud quos dimissus videtur habere partes, quibus persuadendum erit, ne faveant dimisso & teneri eos presumere de Religione, quo tempore causas dimissionis exponent,

ponent, omnem eis probabilitatem astruendo, & defectus dimissi omnes enucleate exponendo nihil omittere esto dubia aliqua sint. Caveant dimissos promouere ad ulla Beneficia Ecclesiastica, nisi aut dederint non modicam pecuniam, aut sua bona inscripserint, aut singulari modo testati fuerint se amicos esse Societatis, id etiam Principi & Regi persuadeant Confessarij, ut collaturi alicui honores argumentum accipiant ejus bonitatis ex liberalitate & bono affectu eius in Societatem nostram, fundando ei Collegium, aut quid simile ei prestando. Si contingat dimissos habere favores hominum, diligenter inquiretur in vitam ipsorum, & mores, & defectus per amicos & devotas nostras ordinis inferioris diuulgent: Ipsæ ne dimissis faueant, aut apud se conseruet dimissos, terreantur censuris, negetur absolutio, si sint pertinaces. Laus dimissi extenuetur, argutis propositionibus, ambiguisq; ita tamen quod possint auertere animos hominum a dimisso & eius fidem minuere. Successus mali qui accidunt dimissis, euulgentur cum magna commiseratione in exhortatione, ut reliqui terreantur, & velinuiti maneant in Societate.

XII.

De Delectu Juvenum pro Societate, modoq;
eos retinendi?

Summa arte & industria opus est ut recipiantur iuvenes Singulij boni, forma non contemnenda, genere nobiles, & opulenti. Ut tales pertrabantur, ostendatur illis fauor à Scholarum præfectis, non permittantur vexari à Præceptoribus, laudentur crebrius, dentur ipsis munera, accipi-

antur ad vineam, tractentur fructibus, in sollemnitatibus accipi possunt ad Refectorium. Cum aliis ad virgas descendendum, obijcienda crimina ex aliquibus coniecturis, iratus vultus ostendendus, acrius compellandi & reprehendendi, iuuenilis etas, ad omnia mala quod sit in illis proclivis ostendatur, nisi religiosi fiant damnatione aeterna terrendi. Dum in societatem admitti petunt, non statim admittantur, differantur ad tempus, interim foueantur, in colloquiis commendetur illis suave institutum: ita enim magno desiderio crescente alacrius instabunt admitti, et si voluerit postea exire aliquis ex talibus, reuocetur illi ardens studium, quo ingressum in societatem urgebat. Quoniam verò maxima est difficultas, in alliciendis Senatorum filijs, & hominum ditiorum in patria: si tales sint, mittantur Romam ad noviciatum, prius tamen præmoneatur de ipsis Generalis aut Provincialis Romanus. Quod si in Germaniam, Galliam, Italiam venerint, & societatem affectauerint, sine scrupulo suscipiantur, ex illis Dominiis, in quibus Monarcha Societatis est addictus, sub tali enim Domino hæc & similia erunt peragenda, siquidem illius subditi cum nostro favore indigeant, non facile contra nos insurgent, et si insurgant, nihil lucrabuntur. Non omittantur occasiones inducendi filios eorum, qui studiorum causa ad nostra gymnasia ex alijs Provinciis veniunt, maxime tunc, cum incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amissæ pecuniæ, partim metu parentum aut affinium, ob molestias quas timent, induci se sinunt, res habuit bonum, successum in Germanis, & Polonis. Inconstantia occurrendum

dum pro qualitate personæ, exhortationibus de malo successu dimissorum, bonoq; vocationis. Ut verò parentes & affines ingredientium ad nos, sint contenti, ostendatur excellentia instituti nostri, & tantus applausus mundi & honor qui defertur à Principibus societati. Insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum, reddantq; eos contentos, si id necessitas & personæ dignitas postulabit.

XIII.

De Monialibus.

C*Aveant offendere Moniales nostri Confessarii, cum tantæ sint benefactrices, ut aliquæ foundationem iuverint Collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint annuente Monasterio & Abbatissa. Quare ob clausuram non eas molestant, relinquunt Episcopis: conservent potius favorem Monialium, ne contra nos agant ob dimidiatas doter, easq; exprobrent nostris datas.*

XIV.

De Casibus reservatis, & causis dimittendi à Societate.

P*Reater casus descriptos in instructione, à quibus solus superior absolvet, aut ordinarius Confessarius ex eius licentia, hos casus videlicet Sodomiam, fornicationem ad ulterium stuprum, tactus impudicos maris aut feminae, & si quis quacung; ratione moliatur contra societatem qualcung; zelo, sciant esse causas dimissionis à societate, nec prius absolvantur quam prius extra confessionem promiserint se id manifestaturos per se, vel per confessarium superiori, qui si advertet peccatum esse cum complice, aut in grave*
damnum

damnum societatis, non absolvet, nisi pœnitens promittat, aut se ipsum scripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem scribendi confessario, aut superiori de tali casu, alias nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis vero casu pœnitentis cognito, re collata cum Secretario de casu pœnitentis, id concludet, quod pro societate expedire videbit, & tali pœnitenti dimissionem ex societate assignabit, quam, si acceptare noluerit, nunquam valide poterit absolvi. Id faciendum conclusimus cum Theologis nostris in casibus reservatis, & approbatione Sedis Apostolicæ frustra quibusdam repugnantibus. Taceat tamen Confessarius ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra confessionem, dimittatur, si dicere noluerit, seruetur cum ipso illa ordinatio scripta contra fictos: Interim tamdiu non absolvatur, quamdiu noluerit dicere extra Confessionem. Si aliqui ex Confessariis nostris audierint aliquam externam personam cuiuscumq; sexus cum homine societatis rem turpem habuisse, non eam prius absolvent, quam dicat extra confessionem nostram, et si dixerit dimittatur noster, externa pars absolvatur. Si duo è nostris sodomiam committant, qui non manifestabit, dimittatur, qui prior manifestavit, retineatur in Societate, sed ita mortificetur, ut velit nolit post parva interiecta mora alium sequatur.

Poterit etiam Societas cum sit corpus quoddam, his de causis se exonerare personis, si successu temporis eos deprehenderit, esse crassos in moribus & loquela, imò quuscumq; viderint superiores causas, Generali monito
quem

quemlibet à Societate dimittent. Ut citius dimittantur,
vexentur, fiant omnia contra inclinationes ipsorum, nege-
tur quæ petit, esto res parvæ sint, arceantur à studiis ma-
ioribus, dentur subtiles superiores, de quibus non sint con-
tenti. Nec tales teneantur in societate, qui vexati insurgunt
in superiorem, de eorum coram fratribus conqueruntur, aut
dissplicere sibi dicunt, quæ fiunt in societate quoad viduas,
& directionem Rerumpub. laudantque Venetos, à quibus pulsa
societas Immediatè ante dimissionem acriter exagitetur,
dimittendus, amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc nunc
ad illud officium obeundum mittatur, interim reprehen-
datur, quod non benè faciat officium sibi commissum: pro
leui excessu duriores assignentur pœnitentiæ, ex cathedra
tempore mense defectus recitentur, ita ut confundatur: &
per id tempus dum notabilem impatientiam ostenderit, a-
liis, audientibus & videntibus, tanquam is qui est aliis
scandalo, dimittatur. Prius tamen res eius revideantur,
& aliquo iubeatur ire ad vineam, vel vicinum Collegium,
interim quo in loco minimè sperat, in eo dimittatur.

XV.

Qui conservari & foueri debent ex personis societatis.

Primum locum tenent strenui operarii, qui non modo spi-
rituale societatis bonum, sed etiam temporale promo-
uent, ut sunt opulentarum viduarum Confessarii, qui dum
ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis alii
ipsis cum recentibus viribus, & ætate sufficiantur. His con-
cedantur quæcumque petent in cibo, vestitu, aliisque rebus, nec
vexentur à ministris pœnitentiis, contra tales non sint cre-
duli

duli superiores. Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos in aliis notatos, superiori deferunt, aut positi in officio Ministri, Subministri, Bedelli, alios mortificare sciunt, non ex affectu, sed amore disciplina religiosa. Foveantur iuvenes illi qui sunt affines nostrorum benefactorum, & fundatorum, quare mittendi ad studia Romam, si studeant in propria Prouincia, concedantur illis ea, quibus foveri possint. Fiat gratia illis etiam iuuenibus, qui nondum resignationem bonorum fecerunt pro societate, post factam pane non lacte pascendi. Nec ij postremum locum habeant, qui multos selectos iuvenes ad societatem inducunt, tanquam benè affecti instituto societatis.


XVI


De contemptu diuitiarum.


NE nimium affectum nobis ascribant diuitiarum, iuabit mediocres non admittere eleemosynas pro ordinariis officijs, quæ fiunt à nostris, negentur sepultura viles in templis nostris. Cum viduis acrius agant, quæ se exhauerunt dando nostris, idem faciendum cum personis nostris, qui pro societate fecerunt resignationem, imò quandoq; tales dimittantur, aut nihileis reddendo, aut saltem benè detrahendo ob sumptus à societate eorum causa prestitos.

Hæc priuata monita diligenter seruent penes se superiores, & paucis idq; grauib; ea Patribus communicent, ex iisq; instruant alios, quomodo seruiant cum fructu Societati, neq; vt scripta ab altero, sed vt ex peculiari prudentia deprompta aliis communicent. Quod si absit in manus externorum hæc Monita veniant, quoniam sinistrè ea interpretabuntur, negentur hoc sensu esse Societatis, per istos confirmando è nostris de quibus certò scitur eos talia ignorare. Opponantur his priuatis Monitis Generalia Monita, & ordinationes impressa, aut scripta, his priuatis contraria. Demum inquiratur, an non ab aliquo è nostris prodata sint (neq; enim superior ullus erit tam negligens in asseruandis tantis decretis Societatis) etsi in aliquem vel leues erunt coniecturæ, illi imputentur, & ex Societate dimittatur.









BIBLIOTEKA KÓRNICKA

12918